



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis  
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis  
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios  
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

**Reiser, Anton**

**Francofvrti, 1678**

Lib. I. cap. 5. & 7. de capite sexto Johannis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

morem in Hispaniâ usitatum, ad Canonem quendam Illiberitanum, post *Ferdinandum* Can. 39.  
*de Mendoza*, illius Concilii Vindicem & Defensorem, & præter *Gabrielem Abaspinum*. pag. 376.  
 Episcopum antehac aurelianensem, Observationum Ecclesiasticarum cum *Oprato Mi-* seqq.  
*tevitano* Editorem, observavit nuper *Immanuel Gundisalvus* vel *Gonzales*. Cæteras mo-  
 dernorum inter adversarios Doctorum de hoc Confirmationis Sacramento non Sacra-  
 mento differentias & opiniones inter se diversas nuper itidem modo exhibuit *Andreas* pag. 291.  
*de Mendo*, opinionionem in Controversiis Moralibus Benignarum Staterista, quas, utpote seqq.  
 ad Institutum impertinentes excutere jam nec libet, nec licet.



## Controversiæ Generalis Tertiæ

DE

# SACRAMENTO EU- CHARISTIAE, LIBRI PRIMI CAPUT QUINTUM ET SEPTIMUM,

DE

Capite Johannis Sexto.

**N**ON agi in hoc Capite, & illis quidem verbis, quæ ut plurimum in Con-  
 troversia hæc Eucharisticâ solent attendi, de manducatione & bibitione  
 Corporis & Sanguinis Domini, quæ ad differentiam dicitur sacramenta-  
 lis, distincta à spirituali, fatetur Bellarminus, agnovisse Doctores quos-  
 dam Catholicos, nominatim à se expressos, quibus post *Salmeronem*, *Vas-*  
*quezium*, *Maldonatium*, *Conzenium*, numero plures addidit *Edmundus Albertinus*, *Caten-*  
*tonensis* apud Parisinos non ita pridem Minister in de hoc Eucharistiæ Sacramento  
 opere posthumo per *Davidem Blondellum* publicato, sistens hujus Sententiæ Pontifices  
 duos, *Innocentium tertium*, & *Pium secundum*; Cardinales quatuor, *Bonaventuram*, *Allia-*  
*cum*, *Cusanum*, *Cajetanum*; Archi-Episcopos duos, *Richardum Armachanum*, & *Grana-*  
*tensem*; Episcopos quinque, *Stephanum Eduensem*, *Durandum Miuratsensem*, *Guilielmum*  
*Alfisdorensensem*, *Lindanum Ruremundensem*, *Iansenium Gaudavensem*, quem alicubi, in-  
 constanter licet, *Tannerum* sequi monet. Addit è cæteris Scriptoribus Romanis *Ale-*  
*xandrum Halensem*, *Richardum Mediarvillanum*, *Johannem Gersonem*, *Johannem Ragusinum*,  
*Gabrielem Bielem*, *Thomam Waldensem*, *Johannem Mariam Verratium*, *Tilemannum Segeber-*  
*gensensem*, *Johannem Eccium*, *Johannem Majorem*, *Astesanum*, *Conradum*, *Johannem Ferum*,  
*Conradum Sazgerum*, *Johannem Hesselium*, *Ruardum Tapperum*, *Palatium*, & novissimè *Ni-*  
*colaum Rigaltium*, plerosque Theologiæ Doctores & Professores, Concionatoresque  
 celeberrimos, à quibus non longè dicit abesse *Thomam* cui se etiam *Esbiius* præsertim  
 junxerit. Ut autem hic non agamus de consensu & confessione Scriptorum Papistico-  
 rum, attamen, tanto præprimis numero, non parvum Veritati Evangelicæ præjudicium  
 & patrocinium adferunt, de quo nunquam satis laudata *Confessio Gerhardi Catholica* lu-  
 culentum præbere potest documentum; nobis jam ad Augustini auctoritatem hic etiam  
 ex instituto respicientibus, quem Bellarminus, ut obtineat, agi in hoc Capite de mandu-  
 catione Sacramentali, non tantùm inter cæteros Patres pro suâ laudat Sententiâ, plu-  
 ribus eam in rem locis ex non uno Ejus Scriptorum sive Homileticorum, sive Polemi-  
 corum, etsi nullis expresse verbis, ut aliàs solet, citatis; sed & quæ ex Eo *Lutherus* & *Che-*  
*mnitius* pro Sententiâ de manducatione & bibitione spirituali commendârunt, pro-  
 lixissimè examinat, omni modo & ratione sollicitus, ne Augustinus & hic noster sit. De  
 locis, quæ Bellarminus pro se citat, postmodùm videbimus nunc responsum Ejus ad loca  
 Evangelicis faventia ponderemus, quæ in quarto exhibet fundamento sequentia: *Augu-*  
*stinus docet*, Infantes manducare carnem Christi, quatenus Fidei communicant. *Igitur*  
*hic Locus de manducatione per Fidem intelligitur. Idem alibi hoc Caput ad eò spiritualiter ex-*  
*ponit, ut dicat*, Crede & manducasti, *Qui & scripsit*, Credere in eum, hoc est manducare

L. I. c. 30.  
pag. 209.  
& 210.L. I. con-  
tra Jul.  
cap. 2.

T t 3

Panem

Tract. 25.  
& 26. in  
Johan.  
L. III. de  
Doctr.  
Christ.  
cap. 16.

L. III. de  
peccat.  
merit.  
cap. 4. &  
in Serm.  
ad Infant.  
apud Be-  
dam in  
Commēt.  
1. Corinth.  
10.

Serm. 11.  
de Verb.  
Dom.  
Lib. I. de  
peccat.  
merit.  
cap. 20.

vid. Tract.  
27. in Joh.  
& in Pl. 98.

Panem vivum. *Et iterum alibi dicit*, Hæc verba, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, nihil aliud significare, nisi Passioni Domini esse communicandum, & mente suaviter cogitandum, Christi carnem fuisse pro nobis crucifixam. *Bellarminus ad hæc respondet & observandum esse monet primò*, Augustinum non raro dicere, Infantes debere corpus Domini edere, si Salvi sint futuri; cæterum non intelligit, id fieri debere necessariò reipsa. Nam idem Augustinus ibidem & alibi scribit, Infantes in ipso (etiam) Baptismo communicare corpori Christi, & per susceptionem Baptismi implere etiam præceptum de sumptione Eucharistiæ. *Secundò*, Infantes non solum non obligari ad communionem reipsa, sed nec in Voto explicito, cujus non sunt illo modo capaces; sed tantum in voto implicito, quod votum Infantes habent, dum baptizantur, tunc enim Infantes jus accipiunt ad Eucharistiam percipiendum, Et quia omnis, qui nascitur, naturaliter adpetit cibum; idè etiam illi hoc ipso, quod renascuntur in Christo, adperunt cibum renatorum, suo tamen loco & tempore percipiendum. Itaque infantes non communicant spiritaliter, nec Sacramentaliter in re, sed Sacramentaliter in Voto implicito; ex quo sequitur, ut non sit illis omninò idem, baptizari & communicare, licet simul fiant, cum unam sequatur ex altero. *Itaque licet Augustinus locis citatis dicat*, infantes manducare Domini carnem in Baptismo, alibi tamen aperte distinguit baptizari & comedere carnem Christi. Aliud, inquit, est nasci de Spiritu, aliud nasci de Spiritu; sicut aliud est nasci de Carne, quod fit, cum parit Mater, & aliud nasci de Carne, quod fit, cum lactat infantem. *Et alibi aperte demonstrat*, hoc præceptum, Nisi manducaveritis, distingui à præcepto Baptismi, etiam in Infantibus. *Ad argumentum ergò respondemus*, scribit Bellarminus, Augustinum exponere hunc locum de manducatione Sacramentali, sed eam tamen Infantibus tribuere manducationem non in re, sed in Voto implicito, quod per Baptismum habetur, ut diximus. *Ad alia duo Eiusdem loca respondet*, dicta esse ea ab Augustino non de Sacramento, sed de fide (rectius, sine) Incarnationis; nondum enim pervenerat ad eum Evangelii locum, ubi de Sacramento agitur. Illud autem, *Qui manducat corde, non qui premit dente*, dixit Augustinus, cum de Sacramento loqueretur, non ut excluderet Sacramentalem esum, sed ut significaret, finem hujus Sacramenti esse, alere Animam, non corpus, licet per instrumentum corporis sumatur. Verè enim reficitur hoc cibo, qui manducat corde, non qui premit, dente, nimirum solo; non enim excludit corporalem esum, cum dicat ibidem, Judam comedisse solo corpore. Sed solum anteponeit spirituales manducationem corporali, quod illa profit sine ista, ista non profit sine illa, sed oblit. *Ad ultimum respondet*, Augustinum ponere figuram in his verbis ratione modi sumendi carnem Christi, non ratione substantiæ ipsius rei. Non enim vult dicere, carnem Christi tropicè dictam manducari, id est, panem, quo significatur Caro; nec veram Carnem tropicè manducari, si essentiam manducationis spectemus, quæ solum requirit, ut verus cibus ab ore trajiciatur ad stomachum per instrumenta vitalia. Sed vult dicere, tropicè manducari quoad modum. Nam ordinarius & proprius manducandi carnem modus est, ut ea visibiliter secetur in partes, & paulatim sumatur, & (quidem) cocta, non cruda &c. Christi autem caro sumitur integra & invisibiliter, & sine ulla sui læsione; quare non proprie, sed figuratè tantum Christi caro occiditur, & laceratur in manducatione, representamus enim Christi passionem. *Augustinum* id voluisse, perspicuum est ex duobus, *Primò*, quia dicit tropicè id exponendum, ne scelus aliquod vel flagitium præcipi videatur. Porro scelus esset, Christi carnem occidere & in partes secare; non autem spirituali quodam modo ipsam carnem veram sine ulla sui læsione in Sacramento sumere. *Secundò*, quia Ipse id explicat, quis sit literalis Sensus, qui scelus sonare videatur, videlicet is, in quo verba Christi acceperunt Capharnaitæ, qui putarunt, Christi carnem laniandam, sicut in Macello fieri videmus, & dandam cuique particulam. Cum igitur Augustinus dicit, hoc præcepto, Nisi manducaveritis, mandari, ut communicemus Christi passioni, & eam recolamus ac mente revolvamus, id ipsum significat, quod Apostolus ait, sumendam Christi carnem in Sacramento in memoriam passionis & mortis Domini. *Hæc Bellarminus* de Augustini Sententiâ, qui etiam in antecedentibus, ubi ad auctoritatem Patrum, quos maximo citavit numero, & inter eos Augustinum quoque, *Ruardum & Inse-* *nium* respondere dicit, eos in Homiliis ad populum præsertim, adcomodasse hæc Christi apud Johannem verba ad Eucharistiæ Sacramentum; monet, *majorem eorum partem scripsisse Commentaria vel Disputationes, in quibus non adcomodationes & mystici Sensus, sed literalis exprimi debeat, inter alios, qui Commentaria in Johannem scripserunt, Augustinum nominans, cujus tamen Tractatus in Johannem non immeritò inter Homiletici generis*

generis scripta recensentur. Post Bellarminum & præter alios de Augustini Sententiâ circa Verborum Christi in sexto capite Johannis sensum prolixè etiam agit *Conzenius* in suis super hoc Caput Commentariis, qui tamen dum pleraque à Bellarmino jam observata repetit, & imprimis contra Calvinistas agit, hic à nobis attendi non debet, ad Bellarminum ex instituto respicientibus, cui jam ordine respondendum est.

*Ad primum igitur* dicimus, Bellarmini objectionem laborare Elencho ignorantia, vel ut communiter dicunt, ignorantia Elenchi. Nimirum non attendit, vel attendere noluit, quem in finem à parte Evangelicorum Augustini Sententiâ de communione Infantum per Fidem soleat laudari. Quia enim Christus in verbis, de quorum sensu agitur, necessitatem manducationis & bibitionis omni modo inculcat, sine quâ nemo possit in Ipso manere, & de infantibus post Baptismum sine Sacramento Eucharistiæ de cedentibus adeò rigorosè non licet judicare, eos ob defectum communionis Sacramentalis Vitâ privari æternâ, de quibus monuit Augustinus, eos manducare carnem Christi, quatenus Fidei communicant; sequitur inde necessariò, Christum non de Sacramentali, sed spiritali potius manducatione & bibitione in his agere verbis, eaque non aliter intelligi posse. Hinc quæcunque Bellarminus vel de debito manducationis, sed non reipsâ necessario, verum ratione susceptionis Baptismi præstandæ, vel de distinctione Voti *expliciti & impliciti*, hoc, non illud Infantibus baptizatis adscribens habet, neq; rem ipsam tangunt, adeoque non contrariantur argumentationi ex Augustini verbis factæ, neq; id in fundamento exhibent, quod omni modo sit liquidû, sed potius principiorum petitiones nondum probatas, sed & nunquam probandas, ex quibus nulla deduci potest consequentia. Imò si velimus, licebit ea invertere & in Bellarminum retorquere. Nam, ad hominem disputo, si Augustinus non intelligit, manducationem & bibitionem corporis & sanguinis Christi ab infantibus necessariò reipsâ fieri debere, & tamen contendit, *debere illud fieri*, quocumq; etiam modò, *si salvi sint futuri*; utiq; Christus ad Augustini mentem, ubi de necessitate ejus egit, intellexit spirituales, aut Bellarminus tenebitur, aliud & tertium manducationis genus fingere à Sacramentali & spiritali diversum, quod vix esse dicit naturale. *Præterea*, si implicitum sufficit votum in Infantibus, ut in junctâ à Christo necessitati communionis fiat ex assensu, illudq; Votum (si absq; implicationis & contradictionis vitio ita dici aut cogitari potest ab homine prudenti,) implicitum non nisi à Dono Fidei in Baptismo collatæ potest provenire, utiq; communio spiritalis locum hic habebit, quæ vicem sustineat communionis Sacramentalis, cujus morte præventi Infantes plurimi non fiunt participes, æternâ privandi Beatitudine, si Christi de necessitate ejus verba juxta Bellarminum ad Sacramentalem trahi debent communionè. Et sic infantes per tale Votum non Sacramentaliter, sed spiritaliter tantùm communicare dici omninò debet, non obstante, quod diversa sint, *baptizari & communicare*, de quibus diversis actionibus contra semetipsum pro more Bellarminus agnoscit & fatetur, *quod simul fiant*, (id quod tamen dicere necessum non est,) *& quod unum sequatur ex altero*; quâ ratione testimonia Augustini à Bellarmino in hunc finem adducta, quæ primâ facie videntur inter se contraria, optimè conveniunt, & quæ Bellarminus exinde conatus est deducere, omninò subruunt. *Ad alia duo Augustini loca* ex ipso Ejus in Johannem Commentario de summa Bellarminus ineptè & simuliterum contradictoriè responder. Ineptè quidem, dum Augustinum *non de Sacramento, sed de fide* (rectius, sine) *Incarnationis* agere, neq; Eum ad Evangelii locum adhuc tum pervenisse scribit, in quo de Sacramento agitur. Contradictoriè autem, cum de iisdem Augustini verbis, ad quæ facta fuit provocatio, fatetur, sui ex more in memor, dixisse ea Augustinum, *cum de Sacramento loqueretur, quam vis non ut excluderet esum Sacramentalem, sed ut finem ejus esse, animâ alere, non corpus, significaret*. Utrumq; contra mentem Augustini, qui neq; de Fide (rectius, sine) *Incarnationis*, in citatis nimirum verbis, neq; de Sacramento vel esu Sacramentali, neq; ad locum Evangelistæ, in quo de Sacramento ad literam agatur, quidquam scripsit, sed Verba Christi de manducatione spiritali agentia ad literam de eadem intellexit & explicavit. Verba Christi sunt: *Hoc est opus Dei, ut credatis in Eum, quem misit Ille*; Ea hunc in modum explicat Augustinus: *Hoc est manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in Vitâ æternam. Ut quid paras ventrem & dentes? Crede & manducaisti*. Quæ Augustini verba adeò perspicua sunt vix *Gratiano*, ut ea etiam Juri Canonico infereret, & sub hoc quidem Lemmate, *Credere in Christum est manducare & bibere Christum*. Quî & in capitulo antecedente ex ejusdem Augustini Sermone quodam de Verbis Evangelii, sub lemmate, *Quid sit corpus Christi manducare & sanguinem Ejus bibere*, sequens Lectori exhibuit testimonium: *Quid est, Christum manducare?*

Conf. P.  
Tarn. C6.  
ment. in  
Joh. p. 190  
1699.

c. Ut quid,  
dist. II. de  
Consecr.

care? *Non hoc solum est, in Sacramento corpus Eius accipere; multi enim accipiunt indigne, de quibus ait Apostolus, Qui manducat panem, & bibit calicem Domini indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Sed quo modo manducandus est Christus? Quo modo Ipse dicit, Qui manducat carnem meam, & bibit Sanguinem meum, in me manet, & Ego in eo. Et ut ag, in me manet, & Ego in illo, tunc manducat, tunc bibit. Qui autem in me non manet, nec Ego in illo, etsi accipit Sacramentum, acquirit magnum tormentum.* Potuine aliquid manifestius ad sensum Christi de manducatione & bibitione spirituali ab Augustino dici & scribi, quod Verba Eius magis illustraret & explicaret? Hinc & Glossator Juris Canonici ad locum priorem notanter observavit: *Non prohibet (nimirum Augustinus) sacramentaliter accipi corpus (& sanguinem) Domini, sed quod necessitate instante, ubi non potest haberi corporis (& sanguinis) Domini, videlicet Sacramentalis, ei non obsit, si non accipit, ex quo per eum non stat; cum enim non accipit, manducat spiritualiter, sed sacramentaliter: quæ verba postrema videntur contra sensum Scriptoris transposita, inque hunc ordinem redigenda: cum enim non accipit sacramentaliter, manducat spiritualiter.* Et ita alteri testimonio conveniunt ex asse, ad quod ipse Glossator provocavit. Plura autem adhuc Augustinus in Expositione verborum Christi habet huic Instituto interservientia. Explicans enim verba Eius, quibus de semetipso dixit: *Hic est Panis, qui de Cælo descendit: ut quis manducaverit ex ipso, non moriatur, ita sensum eorum expressit: Quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente.* Et post ad verba: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & Ego in illo, ita ad mentem Christi scribit: Hoc est manducare illam escam & illum bibere potum, in Christo manere & illum in se manentem habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit sanguinem Eius, licet carnaliter & visibiliter dentibus premit Sacramentum corporis & sanguinis Christi &c. ut ut particulam adverbialem, spiritualiter, textui insertam, verba autem posteriora, licet carnaliter & visibiliter &c. eidem impertinenter adfuta, ex Codicibus manuscriptoris, Catenâ Thomæ Aquinatis, citatione Prospero in Sententiis ex Augustino collectis, quam Ivo Carnotensis, Gratianus, & Sententiarum Magister Lombardus expresserunt, adferat Dallejus, de quo Critici. Nunc addo Augustini verba, quibus totam de hunc capite Johannis, & de manducatione ex eo tractationem finivit, scribens: *Hoc totum, quod Dominus de carne & de sanguine suo locutus est, & quod in ejus distributionis gratia vitam nobis promisit æternam, & quod hinc voluit intelligi manducatores & potatores carnis & sanguinis sui, ut in illo maneant, & Ipse in illis; hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, ut carnem Christi & sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi (faciunt) mali, sed usque ad Spiritus participationem manducemus & bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut Eius spiritu vegetemur, & non scandalizemur &c.* Quod verò Augustinus & hic & alibi in suis Tractatibus in horum Christi verborum explicatione manducationis & bibitionis etiam Sacramentalis meminit, id quod ab aliis quoque Patribus non semel factum, quæ Eius rei fuerit causa, post in responsione ad loca, quæ Bellarminus pro se citavit, indicabitur. Ea inter restat, ut videamus, quid ad ultimum Augustini testimonium, quod pro spirituali manducatione Evangelici laudare solent, respondeat Bellarminus: Qui sicut verè dixit, Augustinum ponere figuram in verbis Christi non ratione substantiæ ipsius rei, sed ratione modi Christi carnem (& sanguinem) sumendi, neque voluisse Eum dicere, carnem Christi tropicè dictam manducari; ita absurdè è contrariò & contradicenter iterum scripsit, negans ex Augustini mente, carnem Christi tropicè manducari, & concedens tamen ex Eiusdem sententiâ, tropicè eam manducari quoad modum. Nam eometiplo, quo tropicè & figuratè Augustinus scripsit hæc Christi verba esse intelligenda, dicere volens juxta Bellarminum, tropicè manducari carnem Christi, simul ipsum manducationis modum voluit exprimere, Capernaitis videlicet oppositū, quibus quæcunq; Bellarminus Augustini verba explicans opposuit, Evangelici quoq; opponunt, addentes insuper, hunc manducationis modum in manducatione etiam sacramentali, si salutaris illa sit, suum omninò habere locum, ut ut ad mentem Christi & Augustini id etiam statuatur, hunc modum absque illâ, si nimirum haberi non possit, sufficientem esse & salutarem, & quod ad Institutum pertinet, vi verborum Christi quam-maximè necessarium. Et ita Augustini in citatis & hæctenus vindicatis ex Eo testimoniis habet Sententia, quam Bellarminus suis Responsionibus, ut ut eas satis plausibiles Lectori exhibere sit conatus, frustra Evangelicis studuit eripere.*

Restat

de Usu Patrum, pag. 88. & 89. conf. Salmaf. de Trāssubst. pag. 125.

Restat jam, ut videamus, quid de iis statuendum sit locis, quæ pro suâ & communi Ecclesiæ Romanensis opinione exceptis Doctoribus supra nominatis, Bellarminus sicut ex aliis Ecclesiæ Doctoribus, ita ex Augustino imprimis magno satis numero citavit. Ea dum generis sunt duplicis; duplici etiam responso debent excipi. Et quidem priori adnumerat classis ea, quæ de his Christi verbis Augustinus in suis ad Evangelium Johannis habet Commentariis, de quibus dum ipse Bellarminus monet, quod ex eo genere Scripturæ sint, in quibus non ad commodationes & mystici Sensus, sed literalis exprimi debeant; nisi Augustinum velit adulare, quod boni Interpretis muneri non ex arte fecerit satis, sed, relicto Sensu literali, mysticis & accommodatis Textum magis obscurârit, quam explicârit, omninò fateri necessum habebit, augustissimum Doctorem plus hic, quam alibi de legitimo verborum Christi sensu fuisse occupatum, nimirum in ipsâ, quod dicitur, & propriâ Sede ea, & quidem eò facilius explicantem, quo ex antecedentium & consequentium accuratâ collatione, in quo præprimis boni Interpretis officium consistit, Scopus dicentis faciliori opera potest observari, quam si extra contextum aliquod Oraculum ex occasione saltem incidenter oblatâ veniat explicandum. Et huc etiam omninò referri debent Sancti Patris de *Doctrinâ Christianâ* libri, in quibus methodum indagandi verum Scripturæ sensum, id est, *literalem* per certas quasdam regulas præscripsit, & Exemplis ex utroq; Testamento desumptis confirmavit, utpotè qui labor quam maximè illud requisivit, ut ostenderetur attento Scripturarum Lectori & scrutatori, quis hujus & illius Oraculi sensus sit legitimus. Neq; cogitari debet, in eo Doctorem augustissimum à scopo sibi præfixo aberrâsse, dum in iis Christi verbis, de quibus eorumq; sensu actum est hætenus, aliquam observavit *figuram* vel improprium loquendi modum, quia literali illud sensui contrarium non est, de quo testantur Exempla, atq; sic priori testimoniorum classe prætermisâ, quibus jam in præmissis satisfactum est vindiciis, ad alteram rectâ nos conferimus, eorum videlicet testimoniorum, quæ in aliis Augustini Scriptis de hoc oraculo leguntur; de quibus in genere duo notanda veniunt. *Unum*, loqui quidem in quibusdam Augustinum occasione horum Christi verborum de manducatione & bibitione Sacramentali, sed non, ac si Christi verba in Sensu literali ita essent intelligenda, cum ex testimoniis proximè vindicatis è propriâ sede desumptis aliud de Augustini Sententiâ sit demonstratum; verum per accommodatorem, quia vidit Augustinus, unum atq; idem esse objectum utriusq; manducationis & bibitionis, Sacramentalis nimirum & spiritualis, dum idem corpus ac idem sanguis Christi, qui in ipso Eucharistiæ Sacramento à communicantibus in, cum, & sub Pane & Vino benedicto oraliter accipitur, editur & bibitur, à cunctis verè fidelibus, etiam extra Sacramenti usum, per Beneficiorum Passio- nis & Mortis Dominicæ adplicationem editur & bibitur, hæc juxta expressam Christi informationem magis ad Salutem æternam necessariâ, quam illâ; hæc etiam semper salutari, non autem illâ, quâ plurimos indignè & sic ad iudicium uti, Paulum jam testem habuimus. *Alterum* in antecessum observatu dignum pro faciliori ad Augustini de Sacramentali manducatione & bibitione testimonia à Bellarmino citata responsione est, quod non sequatur, ubicunq; Augustinus de verâ manducatione & bibitione corporis & sanguinis Domini ad Oraculum, de quo hætenus, agit, Eum de manducatione & bibitione Sacramentali agere, cum & spiritualis extra usum Sacramentalem manducatio & bibitio non nisi pro verâ manducatione & bibitione haberi debeat. Quin & si Augustinus vocabulo etiam Sacramenti utatur, & Sacramentum corporis & sanguinis id esse dicat, quod Christus verè fidelibus tanquam rem necessariam ad æternam Beatitudinem adquirendam commendat, non tamen inde sequitur, loqui Eum de manducatione & bibitione etiam Sacramentali, quia aliàs sæpius voce Sacramenti pro voce Mysterii usus est, de re quâdam sublimiori agens, quod infra etiam patebit, ubi de Sacramento, vel mysterio potius, Matrimonii agitur, quatenus illud conjunctione Christi capitis cum Ecclesiâ omnibusq; fidelibus membris Ejus, Apostolo informatore, ad aliquam Mysterii hujus significationem exhibet. Sed ipsa videamus loca, quæ numero quatuor citat Bellarminus, ad evincendam Sacramentalem è verbis Christi & explicatione Augustini manducationem.

In primo ad sequentia Bellarminus videtur respexisse verba: *Manducant, qui manducant, Serm. II. & bibant, qui bibunt. Esuriant & sitiant, vitam manducant, vitam bibant. Illud manducare, de Verb. Apost. refici est: illud bibere, quid est, nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam; habebis vitam, & integra est (rectius, erit) vita. Tunc autem hoc erit, id est, Vita unicuique erit corpus & sanguis Christi, si, quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsâ veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur. Audi vimus enim ipsum dicentem Dominum, Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam; verba, quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Verum etiam si Augu-

Augustinus per adverbialē particulam *visibiliter* agere videatur de manducatione & bibitione Sacramentali, quæ visibiliter & ore corporis fit, ex toto tamen contextu adparet, Eum, & quidem juxta mentem Christi ac tenorem Ejus verborum, *magis* urgere manducationem & bibitionem spiritualem, ut potè magis necessariam, & in qua vere ratio vivificandi consistat, dum è contrario illam apud indignè manducantes & bibentes mors æterna sequatur. In secundo hæc leguntur: *Cum Dominus dicat, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis; quid sibi vult, quod à sanguine Sacrificiorum, quæ pro peccatis obferebantur, tantoperè populus prohibetur, si illis Sacrificiis unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum; à cujus tamen Sacrificiū sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius exhortantur omnes, qui volunt habere vitam? Sed si scopum citationis Augustiniana attendamus, non intendit Sanctus Pater demonstrare ex Christi verbis manducationem & bibitionem Sacramentalem; verum potius conciliare studuit illa Christi verba cum ablatione omnimodæ Sacrificiorum Veteris Testamenti, unum Christi Sacrificium antehac præsignificantiū, ea postmodū occasione agens de bibitione Sanguinis Christi, de qua tamen, dum in alimentum fieri eam dixit, alimentū sine omni dubio non nisi spirituale intellexit, cujus etiā extrā Sacramentalem usum verè fidelem fieri participem, per manducationem & bibitionem spiritualem videlicet, sæpè jam ex Augustino doctū fuit.*

In tertio Augustini testimonio, juxta Bellarmini ordinem, *Christophorus de capite fontium*, Archiepiscopus quondam Cæsariensis, & ordinis Minorum generalis, Scripto de necessariâ correctione *Theologiæ Scholasticæ*, perisque Eruditorum ex Indice librorum prohibitorum Romano æquè ac Hispano notus, in *defensione Fidei Majorum de verâ & reali corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia*, tantum poluit fiducia, ut omnis pluribus aliis & ad rem pertinentioribus, integrum & prolixum satis Augustini sermonem suæ *Actioni secundæ* inferuerit, obtenturus, Christum in verbis sæpè jam citatis de manducatione & bibitione Sacramentali agere, cum tamen tribus vel ad summum quatuor lineolis potuissent describi, quæ Augustinus in eo habet, aliquatenus Instituto inservientia, nimirum sequentia: *Quasi furor & insania videbatur, dare carnem hominibus manducandam, & Sanguinem bibendum. Ille autem qui noverat, quod dicebat, Sacramenta prædicabat. Et postaliqua: Nonne erant tanquã verba infantilia, Manducate carnem meam, & bibe Sanguinem meum? Sed ista infantilia verba regebant Virtutem ejus.* Videlicet Sacramenta, quæ Christus his de manducatione & bibitione corporis & Sanguinis sui verbis prædicavit Augustinus scripsit, in eam Pontificios Doctores induxerunt opinionem, ac si necessario in eis de manducatione & bibitione Sacramentali ageretur, cum tamen, ut extoto manifestum est Augustini textu, per Sacramenta non nisi mysteria manducationis & bibitionis spiritualis fuerint intellecta, singularem in se comprehendentia virtutem, ut in infantilia primùm, quin & planè stulta auditoribus fuerint, hæc talia ad rationis suæ normam intelligentibus. In quarto testimonio dum Augustinus scribit, *Iohannem de corpore & sanguine Domini hoc* (quo alii Evangelistæ) *loco nihil dixisse, sed planè alibi multo uberius hic* (vel de hoc) *Dominum esse locutum testatur*; habuit quidem sine omni dubio Sanctus Doctor aliquem respectum ad caput sextum Johannis, sed non quasi in eo ageretur de manducatione & bibitione Sacramentali, verum quia communio hæc Sacramentalis sine spirituali, quæ per fidem perficitur, non prodest, ut de salutari usu ejus verè fideles ex informatione Christi tanquam Institutoris docerentur. *Christophorus de capite fontium* loco proxime citato *quintum* ex Augustino addit testimonium, quo Augustinum manifestè putat statuere, *Christum hoc in Capitulo de Sacramento Corporis & Sanguinis sui locutum esse, dum scripsit, Dei sapientiam verbis Sacramento congruis pavisse animam credentem, nec curasse insipientiam navescentem.* Sed nõ percepit bene Episcopi Hipponensis mentè Archiepiscopus Cæsariensis, ac nimis specialiter verba generalis cõcepta intellexit ordinis sui Generalis. Nimirum id voluit Augustus Doctor, Christum Dei Sapientiam pavisse animam fidelem verbis, quibus ipsum quoq; Sacramentum explicari posset. At inde ad manducationem ipsam Sacramentalem argumentari, res est omnino absurdissima, tantoq; Episcopo indigna. Adde ex superfluo & indebitâ liberalitate *sextum* Augustini pro communi Sacramentali testimonium; *Quid aliud tenent, qui Baptismum nomine Salvis appellunt, nisi quod dictum est, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis; & quod Petrus ait, sic & vos simili formâ Baptismus salvos facit? Quid aliud etiam, qui Sacramentum Mensæ Domini vocant Vitam, nisi quod dictum est, Ego sum Panis vitæ, qui de Cælo descendit, & qui quem Ego dederò, Caro mea est pro Seculi vitâ. Et, si non manducaveritis carnem filii hominũ, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis? Certe non minus hoc Augustini testi-*

Super Levit. Quæst. 57.

in Pl. 33. Conc. I.

L. III. de conf. Ev. ang. c. 1.

L. I. contra adverst. Legis & Proph. cap. ult.

de peccat. merit. lib. 1. cap. 24. conf. Art. cad. de Conc. Lib. III. c. 41. pag. 233.

monium, quàm antecedentia videntur evincere, Christum ex mente Augustini de manducatione & bibitione Sacramentali esse locutum. Verùm inservire hic potest responso, quàm Bellarminus supra ad duo Augustini testimonia, quæ secundo ordine loco contra Sacramentalem in his Christi verbis communionem fuerunt laudata & vindicata, suppeditavit, scribens, *Augustinū ibi non de Sacramento, sed Fide (rectius, sine,) Incarnationis locutum; neq̄, tūm pervenisse ad illum Evangelii locum, ubi de Sacramento agatur.* Quia enim priora Christi verba, *Ego sum Panis vitæ* &c. quæ ad Sacramentum Mense Dominice Augustinus censuit pertinere, ut eam recte dici vitam demonstrat, immediatè & eodem textu cum iis coherent, de quibus judicavit Bellarminus, *non in eis agi de Sacramento, adeoq; nec Augustinum in explicatione eorum dici posse de eo egisse; eodem hic etiam responso uti licitum esset, si quis hujus testimonii autoritate pro Sacramentali communionem vellet contra Evangelicos militare.* Ut taceam, vel non cum tædio prolixius repetam, quod paulò ante in utriusque testimonii vindiciis notavi, Augustinum ibi expresse ad mentem Christi explicandam scripsisse, illud, quod Christus de semetipso, tanquam Pane de Cælo descendente dixit, *non pertinere ad visibile Sacramentum, sed ad virtutem Sacramenti*, quo non clarius potuit, remota Sacramentali, de communionem spirituali suam proposuisse Sententiam.

Ad hanc de Capite Johannis sexto tractationem pertinet Sententia, quæ communiter Augustini dicitur, & qua tantam Sacramenti Eucharistiæ necessitatem docuisse statuitur, ut sine ea pueri, etiam baptizati, non possint salvari, prouti eam exprimit noviter post alios *Henricus de Noris* in Vindiciis Augustinianis, testatus. eam quasi erroneam Doctori Sancto adscribi à recentioribus quibusdam, Inominatim *Johanne Adamo, & Antonio Moraino*, vel *Johanne Martinono*, & hoc quidem posteriore, verbis ex opere de peccatorum Meritis & Remissione ad hoc institutum pertinentibus expresse citatis, scribente, *ea adeo esse manifesta, ut difficillimè patiantur benignam interpretationem, quàm pleriq; Theologorum ab errore conentur excusare Augustinum, qui tamen notatus sit & damnatus sub anathemate à Synodo Tridentinâ.* Sed addit *Noris*, Augustini causam esse tutam, Ecclesia Romanâ Sancto Doctori patrocinante, cum Sedis Apostolicæ Pontifices eadem omninò Augustini verba usurpârint contra Pelagianos, qui in locis à *Moraino* citatis docere videatur, Eucharistiæ Sacramentum non minus esse necessarium parvulis ad Salutem, quàm Baptismum; *neg. Joh. 6. & 3.* minus ad eos pertinere, quod dicitur, *amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. quàm istud, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c. Ut quid sibi videatur, significet Vindex Augustinianus, id in primis certum esse vult, Veteres consuevisse pueris statim post Baptismum ministrare Sacram Eucharistiæ, Augustino præter alios in testimonium rei citato, Et quia *Maldonatus* suis in Evangelia Commentariis id ideò factum putavit, quod putarent, Eucharistiæ infantibus necessariam; *Noris* nullo concedi posse pacto autumat, utpotè Synodo Tridentinâ ita de hoc ritu loquente: *Ut Sanctissimi Patres facti sui causam probabilem pro temporis illius ratione habuerunt, ita certè eos nullâ salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.* Subjungit, quod idem *Maldonatus* cum Augustino *Innocentium* Pontificem dixisse scribit, *Infantes etiam baptizatos, nisi percipiant Eucharistiæ, salvos esse non posse, falsissimum esse.* Dixisse illos quidem, infantes sine Sacramento Eucharistiæ salvos esse non possent id de pueris baptizatis nunquã adfirmasse, cum eâ tempestate statim post Baptismum omnibus etiam daretur Eucharistia, & ob hanc causam eò Johannis testimonio Augustinum & Pontifices Romanos (*Innocentio* enim supra junxerat *Gelasium*,) optimè contra Pelagianos esse usos. Post aliqua hæc observat: Cum eâ tempestate omnibus utrumq; illud Sacramentum, Baptismus scilicet & Eucharistia daretur, non tam frequenter legimus in Augustino quid senserit, *si Baptismus tantum sine Eucharistia fuisset collatus?* Semel, inquit, illum lego casum apud Sanctum Doctorem, videlicet in opere de origine Animæ, ubi cum *Vincentius Victor* exemplo boni Latronis probaret, pueros sine Baptismo posse salvari, Sanctus Doctor responderet, fieri potuisse, ut ille Latro fuerit baptizatus, & ante, quàm iret in Carcerem, acceperit in Baptismo remissionem peccatorum, vel, ut pleriq; credebant, in ipsâ Cruce fuerit baptizatus, aquâ exiliente è Christi latere. At certum est, subsumit *Noris*, Latronem non sumsisse Eucharistiæ, quæ pridè ante mortem in Cænâ à Domino fuerat instituta. Igitur homo per Augustinum baptizatus tantum sine reali sumptione Eucharistiæ potest accipere remissionem peccatorum & Salutem eternam. Hoc etiam deducitur ex constanti ejusdem Sententia, quâ adseruit, *Fidem Conversionemq; cordis, quæ fit per Charitatem actualem, posse hominem reddere salvum, si à Baptismo recipiendo excludatur necessitate improvisa.* Ita passim scribit in libris contra Donatistas, præcipuè autè in opere de Baptismo; (NB. Egregium hoc*

pag. 110.  
& seqq.

Joh. 6.  
& 3.

conf. Joseph. Vice  
Comit observat. Eccl. L. V. cap. 34. & seqq.

L. 1. c. 9. &  
L. 3. c. 9.



L. 4. c. 22. hoc præbet argumentum in Controversia de infantibus ante Baptismum mortuis. Ita iterum subsumit *Vindex Augustinianus*, puer baptizatus, etiam si non percipiat Eucharistiam, longè perfectiori modo habet Fidem & Charitatem, sibi à Deo in Sacramento Regenerationis infusus. *Igitur juxta doctrinam Augustini verè salvabitur.* Cum verò, sic pergit *Norissius*, Sancti Patres, & ita etiam Augustinus, docent, sine participatione corporis & Sanguinis Domini neminem consequi posse Salutem æternam, intelligendi sunt de participatione spirituali, quando per Fidem infusam fiunt participes corporis Christi, dum fiunt Eius membrum, cui per Fidem incorporantur, sicut qui sumunt Eucharistiam, fieri dicuntur membra Christi, dum manent in Eo, & Christus in eis. Confirmat hoc diversis Augustini testimoniis, addito consensu *Fulgentii & Bedæ*, Augustini Verbis in hac eadem tractatione utentium, quod à *Gratiano* quoque factum monet, ut ut cum aliqua additione ex *Fulgentio*. Licuit hæc in gratiam Lectoris piè curiosi adscribere, quia alias non semel mentio solet fieri Sententiæ hujus Augustinianæ de necessitate Eucharistiæ, etiam Ratione infantum; ad cujus Sensum, ne nimius rigor in hoc capite Sancto Patri adscribatur, ritè intelligendum hæc adducta non parum videntur conducere. Et si autem juratus, & fortè conductus *Norissii* hostis, *Bruno Neuserus*, ordinis non Majorum, sed vere, *Minorum*, in *Prodromo Velitari* hæc & cætera, quæ in *Vindiciis Augustinianis* ad defensionem Doctoris Sancti leguntur, uti solet, cum non planè nullo authoritatis Augustinianæ præjudicio & detrimento, exagitet, non tamen ejus sunt momenti & ponderis, ut laudatam Explicationem loco possint tollere, adeoque nec digna, quæ prolixius examinetur, cum ipsa rationum collatio evidenter possit ostendere, quod citatus ad marginem *Vitercomes* etiam ex Instituti ratione in se suscepit ostendendum, istam Eucharistiæ perceptionem, Sacramento Baptismi junctam, ad ritus ex antiqua consuetudine receptos pertinuisse, quod observâsse satis nunc esse potest.

pag. 212.  
& seqq.

## LIBRI TERTII CAPVT VIGESIMVM, De Transubstantiatione.

PRætermisso in totù secundo de Eucharistiâ libro, utpotè Doctoribus reformatis realem in hoc Sacramento Corporis & Sanguinis Christi præsentiam inficiantibus opposito, quibuscum nihil commercii in hac Controversia intercedit Evangelicis Doctoribus à lue syncretica per Dei gratiam liberis; neque etiam attentis sex illis opinionibus diversis, quas de modo existentie Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ recenset *Bellarminus* & refutat; rectè ad discussionem illius progredimur Quæstionis, quæ Evangelicos etiam respicit, Transubstantiationem seu mutationem & conversionem Panis & Vini Eucharistici in corpus & sanguinem Dominicum, tanquam Dogma novum & in Ecclesia antiquiori ac magis orthodoxa inauditum, atque hinc in Ecclesia verè fidelibus non obtudendum respuentes. Dico, in Ecclesia antiquiori, adeoque ea etiam, quæ Augustini tempore fuit, inauditum. Quamvis enim *Bellarminus* more solito ad hujus Dogmatis sub anathemate à Patribus Tridentinis proposita confirmationem testimonia Patrum ex omnibus ab Apostolorum tempore Seculis, & hinc etiam Augustini, conquisiverit, ut ut definitionem ejus ad quinque tantum Secula restringens, eometipio falsus, per mille Annos fideles ad hoc Dogma amplectendum nulla Concilii ullius Occumenici, universalem Ecclesiam repræsentantis, definitione expressa fuisse adactos; in sequentibus tamen ostendetur, quidquid jam sit de cæteris Patribus, Augustino etiam illud suo tempore fuisse incognitum. Ita autem de Eo *Bellarminus*: *Augustinus*, in *Sermone*, quem *Beda* citat: *Omnis panis, accipiens Benedictionem Christi, fit corpus Christi.* Adde in 1. Co-  
rinth. 10. pro horum Augustini verborum intellectu *Bellarminus*: *Ad verè, non dixisse Augustinum, Panis est corpus Christi, ut Lutherani solent loqui, sed fit corpus Christi, quæ verba mutationem significant panis in corpus, ut quidem Zwingliani utcumque, possent respondere, mutatione significantis ex pane fieri Corpus; at Lutherani quid respondere possent nescio. Nam ipsi velunt, realiter corpus Domini adesse in Cæna; Augustinus autem dicit panem fieri Corpus. Fateri proinde debent ex Augustini Sententiâ, panem reipsâ converti in corpus. Idem alibi: *Ante Christi verba, quod offeritur, panis dicitur; ubi verba Christi fuerint de prompta, jam non panis dicitur, sed corpus adpellatur.* *Bellarminus* pergit: *Thomas Waldensis alium citat locum ex libro Augustini de corpore Domini, quem dicit se transcripsisse ex antiquissimo libro antiqua valde manu descripto: Non credendum est, quod substantia Panis vel Vini remaneat, sed Panis in corpus Christi & Vinum in Sanguinem vertitur, qualitatibus solummodo remanentibus.* Verum*

Serm. 28.  
de Verb.  
Dom.  
Tom. II.  
cap. 83.